

cibus contineat. Hoc autem spaciū natura non finit uacuum, necessario igit quoddam cœleste corpus ipsum occupabit. Sed id corpus de integritate erit orbū Solis & Lunę, frustra enim tanta moles in cœlo permitteret. Quamobrem spaciū illud Veneris & Mercurij duobus orbibus commoditate naturali uendicabitur. Vter autem horū supra alterum situetur, nulla certitudine deprehēdi potest. Mercurius enim in plerisque climatibus rarissime apparet. Et si apparet, id fit quando est circa longitudines medias epicycli, tunc autem licet habeat diuersitatem aspectus, ea tamen multo minor est quam ipsa, quam haberet si esset in opposito augis epicycli. Quare huiusmodi diuersitas aspectus, ad unguem non potest elici, cum nec instrumentis huic rei necessarijs, neque in motibus Mercurij numerandis, omnem præcisionem habere possimus. Idem de Venere estimandum erit.

Diuersitates motuum qua uia cognite sint exprimere. Propositio II.

PRincipio in his quinque stellis manifeste apparuit motus secundum successionem signorum ab Occidente, scilicet, ad Orientem, per relationem ad stellas fixas. Deinde notabant primi philosophi aliquanto tempore ad sensum loca sua non mutare, & post contra successionem signorum moueri. Intelligebant etiam, quod huius motus diuersitas ad Solem haberet colligantiam. Nam post coniunctionem alicuius trium superiorum, cum Sole uiderunt eos moueri motu admodum ueloci, & pedentim minui uelocitatem hanc, donec apparerent stationarij, & postea retrogradi. Dumque totū tempus re-

trogradationis dimidiarent, inuenerunt in huius temporis medio Solem ipsis oppositū. Et quia crebris obseruationibus idē sub una habitudine redire uidebant, iam certum concludere, quod in omni coniunctione media Solis cum aliquo horum trium rediret diuersitas huius motus, similiter in omnibus æqualibus eorum à Sole distantijs. Postea uerò considerabant eos dū haberent æquales à medio loco Solis distantias, à cōiunctione eorum cum Sole. Inueneruntque motus eorum in his temporibus ferē æqualibus non æquales. Idem etiam fecerunt per distantias locorum, in quibus stelle post coniunctionē uidebantur stationarie, eas namque distantias inæquales comperiebant. Id uerò nequaquam accidere potuit, nisi aut motus orbium super centris suis fuissent irregulares, quod natura quidem horret. Aut centra orbium eorum à centro mundi essent diuersa. Et quia duplices inuenerunt diuersitates, duplices orbis, quibus eas accidere uerisimiliter esset, ponere cogebantur. Ei autem diuersitati quæ in coniunctione eorum cum Sole reuertitur, dederunt orbem reuolutionis. Nam tempus quod est à motu Planete uelociori ad motum mediocre, uidebatur maius tempore quod est à motu mediocri ad motum tardiores, quod maximè orbis reuolutionis competit, minimè uerò ecentrico. Item ad motus latitudinum saluandos, de quibus inferius, hic orbis est accommodatior. Sed diuersitati secundæ, centricum attribuerunt. Inuenerunt enim tempus, quod est à motu tardiori ex hac diuersitate ueniente ad motum mediocre, maius tempore quod est à motu mediocri ad motum uelociorem.

¶ Preterea duo loca, in quibus motus uelocissimus